



DISPUTATIO ACADEMICA  
DE

QUÆSTIONE  
Utrum Pontificii? an

Nostrates, in Religionis negotio,  
conscientiæ suæ rectius  
consulant?

*opposita ANONYMO Pontificio.*

Hanc

D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS GUILIELMI BAJERI,


S. Theol. Doctoris & Prof. Pub.

*in Auditorio Theologico*

d. VII. Jan. A. C. M. DC. LXXX. *Jan. 1680*

*publicè defendet*

JOHANNES Oppenrieder/  
Weissenburgô-Noricus.



7ENÆ

Literis GOLLNERIANIS.

13





DISPUTATIO ACADEMICA  
DE  
QUESTIONE  
Utrum Pontificatus  
Nostates, in Religionis negotio,  
conscientia sua rectius

consulantur  
oppositio APOSTOLICA Pontificatus

Hande

D. O. M. A.

SUB PRÆSIDI

JOHANNIS GUILIELMI RAJERS

S. Theol. Doctoris & Prof. Publici

in Academia Theologica

d. VII. Jan. A. M. DC. LXXII.

JOHANNES RAJERS

Wittenburgi - Norici

\*\*\*\*\*

PAVIA

THOMAS GÖTTSCHEWITZ







B. C. D.

I.

**R**equens hactenus mos fuit hominibus Pontificiis, illis præsertim, qui desertâ fide Luthero-Evangelicâ ad Papatum accesserunt, ut non tantùm, de singulis capitibus controversis, ex genuino conclusionum Theologicarum Doctrinæque Christianæ principio, accuratè disputare; sed aliò quovis modò Pontificiam Ecclesiam & Religionem extollere, ac nostram ex adverso deprimere vellent: inprimis Romanæ Fidei securitatem jactarent; ejus verò, quam Nostri in dijudicandis veris falsisque dogmatibus ingrediuntur, viæ si-ve Methodi pericula, & nescio quos conscientiaæ scrupulos, nunquam eximendos, eosque multos admodùm ac varios, nobis objicerent, quantumque possent, exaggerarent.

II. Placuit hæc controvertendi ratio nuper admodùm Auctori Anonymo Schediasmatis Hannoveræ editi, quò Doctrinam Fidei Romano-Catholicam de Purgatoriò claris Augustini dictis probandam sibi sumsit; atque hinc discedens, relicto Purgatoriò pariter & Augustinò, brevem quendam de securitate Religionis Pontificiæ discursum annexuit, hoc argumentum tractaturus: *Quisnam Conscientiaæ suæ magis consulat? Ille ne, qui fundamentum fidei Romano-Catholicae, si-ve verbum DEI, prout ab Ecclesiâ proponitur, pro verbo DEI habet? An is, qui solum verbò scriptò, sine respectu ad proponentem, contentum se esse posse putat?*

III. De Auctoris nomine solliciti esse nolumus, quod ipse occultum esse voluit: quanquam nec testimonia desint, & styli ac plurium circumstantiarum ratio ostendere videatur,



Dn. Nicolaum Stenonem, Episcopum Titiopolitanum à Pontifice nuncupatum, qui Hannoveræ hæctenus degit, parentem hujus foetû esse, cui similes alios Florentiæ edidit, quorum Titulos & Argumenta, cum eo, de quò hîc loquimur convenientia Pl. Reverendus Dn. D. Præses exhibuit in Disp. peculiari, annò elapsò contra illum habitâ §. V. p. 3.

IV. Quod ad rem attinet, præsentis Quæstionis partem priorem amplectitur Schediasmatis Auctor, ejusque veritatem ad oculum clarè demonstraturum se pollicetur, hòc unicò & univèrsali fundamentò positò; quòd de verbo DEI aliter loquendum sit prout in se; aliter quatenus sub signis humanis, vocis vel scripti, consideratur: nempe oportere aliter loqui de Evangelio Johannis, prout est verbum DEI, in animabus fidelium & Sanctorum inscriptum; aliter, prout continetur aut in Scripturâ certæ alicujus linguæ, aut voce alicujus hominis. Rationem diversitatis statim exponit verbis sequentibus: Illud (verbum DEI in se spectatum) æternum est: signa autem sunt mutabilia: Illud nulli mutationi obnoxium est; hoc verò (verbum DEI, quatenus signis humanis continetur) ipsò factò quoad diversos cœtus mutatum est: Illud certum est; hoc sibi ipsi repugnans, & contrariis opinionibus subjectum.

V. Sed quæ ille ad oculum patere putat, profectò obscura admodum & ambigua sunt. Nam quid sit verbum DEI in se, distinctum à verbo DEI, quatenus signis humanis comprehenditur? Quæ sint illa signa humana? & quò sensu humana dicantur? non exprimit. Equidem distinctionem inter verbum DEI, quatenus inscriptum est cordibus fidelium & Sanctorum; & quatenus in scripturâ certæ linguæ aut voce alicujus hominis continetur, audimus: sed quomodò illud sit verbum DEI in se; hoc verbum DEI non in se? item, an per Scripturam intelligat ipsos fontes seu textus originales Scripturæ eosque tantum? an fontes & versiones? an versiones solas, exclusis fontibus? an scripturas alias, ab hominibus sibi relictis suoq; ingenio ac studio nixis, consignatas? porrò, anne signum humanum generaliter dicatur, quodcunque inter homines signi rationem habet, & ad res religionis seu fidei, potentiæ cognoscitivæ humanæ manifestandas, facit, sive à DEO ipso, sive ex ingenio hominum adhibeatur? an spe-



*an Lutherani, conscientie suae rectius consulant?* §  
specialiter & præcisè illud, quod merè humanum est, aut hu-  
manò tantùm studiò ad significandas res divinas sive res Reli-  
gionis adhibitum? de his omnibus nihil apud Auctorem defi-  
nitum videas. Fundamentum itaque sequentis discursûs, ad  
decidendam controversiam præsentem allati, adeò non ad  
oculum patet; ut in quòdam Democriti puteò latere, aut ad æ-  
nigmatum genus pertinere videatur.

VI. Interim meminimus eorum, quæ aliàs Pontificii qui-  
dam Doctores de verbò DEI ad similem modum scripserunt.  
Nempe sicut Anonymus distingvit verbum DEI, quale in se est,  
à verbo DEI scripto seu in Scriptura aut voce comprehenso; ita  
*Erbermannus Dissert. II. de Analyfi fidei Quest. II. scribit; Verba Bi-  
blica, seu voce, seu stylò prolata, esse tantùm equivacè aut analogicè  
verbum DEI.* Cui simile est, quod *Melchior Canus Lib. III. Loc.  
Theol. cap. 3. tradit; scriptum verbum, si verè ac propriè loqui veli-  
mus, non esse propriè verbum DEI.* Et quemadmodum Anonymus  
dicit, verbum DEI in se spectatum esse inscriptum in animas  
fidelium & Sanctorum, non autem signis scripturæ comprehen-  
sum: & hoc solum esse æternum, esse certum & nulli mutatio-  
ni obnoxium; sed quatenùs extra animas fidelium & Sancto-  
rum, signis humanis continetur, esse mutabile, esse ipsò factò  
mutatum, esse sibi ipsi repugnans & contrariis opinionibus  
obnoxium: ita *Erbermannus l. c. paradoxo quinto scribit; Re-  
velationem divinam non habere ex se connexionem cum mysterio re-  
velato, cum verba, quibus illud revelatur, ex naturâ suâ sint indiffe-  
rentia, ut significant hoc objectum, vel aliud.* Cui respondet, quòd  
pridem à Pontificiis Scriptura comparata est *naso cereo, regule  
Lesbie, gladio Delphico &c.* & quod *Costerus in Enchirid. de sacra  
Script. cap. 1. p. m. 43. differentiam inter scripturas internas, quas  
Christus digitò DEI in corde Ecclesie scripserit; (quò nomine in-  
telligit Ecclesie Catholice consensum & concordem Christianorum  
omnium, qui sunt per orbem terrarum, doctrinam; non horum mo-  
do, sed & eorum, qui per continuas successiones ab Apostolis ad nos  
usque propagaverint; ) & scripturas externas, (quas nobis in mem-  
branis Apostoli reliquerint) sic exponit, ut inter alia dicat mem-  
brò 4. Quod ista sint litera mortua, scripta atramento in membranâ*  
A 3 vel



vel chartâ, quam si quis vel truncare velit, vel torquere, vel pravis expositionibus corrumpere, nihil sentiat; Illa verò, cum scripta sit spiritu DEI vivi, in cordibus vivis Ecclesie, truncari & torqueri se non sinit, sed sui per omnia similis perseverat. Proinde hoc est instar vaginae, quae quemlibet gladium admittit, non modo chalybeum, sed etiam plumbeum, ligneam, cereum: patitur enim se quavis interpretatione trahi. Illa autem retinet in vaginâ verum gladium, nimirum genuinum sensum scripturae in cortice literae, quia non in solis characteribus, sed in sensu cernitur DEI verbum.

VII. Itaque, si mens Anonymi ex similibus sociorum dictis, sed aliquantò clarioribus illis, interpretanda sit; (quod non invitò illo futurum credimus,) facile apparebit, quale sit fundamentum, quòd is argumento ad ostendendam securitatem Religionis Catholicae substernit, hoc scilicet: *Scripturam sacram non esse reverà ipsum verbum DEI, sed signum tantum ejus; & quidem signum tale, cui tanquam variis mutationibus & corruptelis obnoxio, fides nostra inniti tutò non possit: Ut ergò fides nostra habeat, cui secure innitatur, attendendum esse ubinam sit verbum DEI verum & propriè dictum; adeoque ad Ecclesiam accedendum esse, quae penes se & in corde suo habeat verum illud DEI verbum, tanquam digitò DEI scriptum, & sibi per omnia constans, omnis corruptionis expertis; adeoque sine hesitatione recipiendum.*

VIII. Tantò minus autem Anonymum, hanc esse suam sententiam, negaturum credimus, quantò magis alioqui vanitas argumenti ex isto fundamento petiti manifesta fuerit. Nempe, si per *Scripturam* non ipsum Codicem Librorum Sacrorum Θεοπνευστων, sed scripta humanò ingenio consignata, vel etiam versiones Scripturae, in oppositione ad fontes s. textum primigenium, à se denotari dixerit, nulla omninò fuerit consequentia, quâ concludatur, Pontificiam doctrinam seu religionem tutiorem esse, quàm quæ est Protestantium. Faciamus enim, scripta omnia humana, ipsasque versiones Scripturae esse incertas, & mutationi aut corruptelis erroribusque obnoxias: notum tamen est, quòd Protestantes nihil horum pro Regulâ aut normâ fidei & controversiarum dijudicandarum habeant; sed solos fontes, quibus solis auctoritas Canonica competat; quod-



*an Lutherani, conscientiae suae rectius consulant?* 7

quodque similiter Protestantes nihil magis in certamine cum Pontificiis expetant, quam ut in investigatione veritatis, semotis hominum dictis & auctoritatibus, ad fontes Scripturae accedere, & conformitatem doctrinae suae cum fontibus ostendere liceat. Unde nulla omnino consequentia fuerit: Si Scripturae sacrae fontes certa & Canonica auctoritate pollent: scripta vero & dicta humana omnia incerta & corruptelis obnoxia sunt; sequitur, quod Lutherani, qui fidem suam solis Scripturis Canonis, non autem scriptis dictisve humanis superstruunt, non possint conscientiam de Doctrina ac fidei suae sinceritate tranquillam ac certam habere. Potius enim oppositum sequetur, nempe Lutheranos hoc ipso consulere conscientis suis, quod fidem non volunt inniti dictis scriptisque hominum incertis, sed Scripturae divinitus inspiratae ac certae. Contra autem Pontificiorum difficilima erit causa, si fontes Scripturae S. certos esse & Canonica auctoritate pollere, scripta vero & dicta humana omnia incerta esse dicantur. Nam quod attinet ad dogmata inter nos & ipsos controversa; de aliquibus sane ipsi fatentur, ea neque quoad verba, neque quoad rem in Scripturis extare, sed aliunde, ex voce aut scriptis Ecclesiae Romanae sumenda esse; alia vero dicunt quidem in Scriptura Canonica contineri aut fundari, addunt autem, propter obscuritatem verborum Scripturae, non posse illa certo inde colligi, sed veri sensus verborum definitionem ex scriptis Patrum, Conciliorum aut Pontificum peti debere. Itaque vana fuerit consequentia: Si dicta & scripta omnia humana, a Scripturae fontibus distincta, incerta & erroribus obnoxia sunt, sequitur, Pontificios tranquillitati conscientiae suae rectissime consulere, quod amplectuntur dogmata, neque quoad verba, neque quoad rem in Scripturis S. contenta, sed extra eam ex dictis scriptisque hominum, sive Doctorum singulorum, sive in Conciliis congregatorum, sive eorum, qui primum inter Christianos locum sibi vendicant, desumenda, quodque etiam ea dogmata, quae in Scripturis contineri agnoscunt, non tamen pro divinis habent, nisi etiam dicta aut scripta hominum ea in scripturis contineri testentur. Iterum sane non hoc, verum opposi-



positum, seu quòd Pontificii hòc pactò conscientia suæ pessimè consulant, sequetur. Sed hæc ὡς ἐν παροίῳ; Nam quòd prior potius illò, quem §. VII. indicavimus, sensu, fundamentum suum Anonymus intellexisse videatur, ibid. & §. præced. indicavimus.

IX. Nunc igitur res poscit, ut *cujus firmitatis sit illud fundamentum, promissæ demonstrationi oculari securitatis Pontificiæ substratum, penitiùs intueamur.* Quatuor sunt præcipuè, quæ illic occurrunt: *Unum*, quòd verbum DEI, quatenùs in se spectatur, non contineatur signis humanæ Scripturæ, qualia in ipso Codice Biblico, quem θεὸς πνεύσων credimus, habeatur. *Alterum*, quòd verbum DEI, quatenùs in se spectatur, contineatur in animabus fidelium & Sanctorum. *Tertium*, quòd verbum DEI, quatenùs continetur signis humanis Scripturæ S. sit incertum, mutationibus & corruptelis obnoxium, imò mutatum & corruptum, sibi que ipsi repugnans. *Quartum*, quòd verbum DEI, quatenùs in animabus fidelium & Sanctorum continetur, sit certum, constans, immutabile, & se cum accuratè concordans. Novit autem procul dubio Anonymus, in disputationibus, quibus pars una alteram, hætenùs à se dissentientem, convincere, & ad suas partes pertrahere nititur, fundamenta ejusmodi ponenda esse, de quorum certitudine utrinque constet, aut si quid tanquam fundamentum afferatur, quod altera pars non pro certò, sed dubio aut planè falso habet, frustra fore disputationem, aut ad aliud prius certiusque & utrinque admissum fundamentum recurri, & ex hòc demum illud demonstrari debere. Unde si istud ab Anonymo allatum fundamentum fundamenti nomen mereri & vim habere quoad promissam demonstrationem debeat, tale esse oportebit, quod Protestantes æque ac Pontificii ultrò agnoscant, admittantque. Quod si Protestantes illud non agnoscant, neque Anonymus ita probaverit, ut Protestantes convicti agnoscere teneantur, omnis opera ejus ultrò corruet, & demonstratio promissa nulla erit.

X. Patet autem, Anonymum fundamento illi suo tantum tribuere, quasi absque omni probatione propositum, nihilominus



*an Lutherani, conscientia sua rectius consulant?*

minus æque apud Nostrates quam Pontificios, fidem obtineat. Ait enim, se hoc *unicum generale s. commune fundamentum* velle ponere. Er wolle nur diesen einzigen allgemeinen Grund setzen. At qui si singula fundamenti membra spectes, tantum abest, ut nostratibus approbentur, ut potius si non omnia pleraque tamen apertè & graviter improbentur ac rejiciantur.

XI. *Primum* sanè, sive quòd verbum DEI, quatenus in se spectatur, non contineatur signis s. literis Scripturæ S. adeòque vice versâ, Scriptura S. non sit verbum DEI in se spectatum, sed improprie aut æquivocè; nunquam Nostrates admiserint. Nòrunt illi potius ac firmiter credunt, Scripturam sacram, sicut seipsam crebrius vocat *verbum DEI*, ita esse, quòd dicitur, & esse proprie. Nòrunt, naturam & definitionem verbi Divini, quò DEUS ad homines loquitur, in hoc consistere, quòd sit signum ex institutò significans, ad conceptus DEI hominibus manifestandos, certò revelationis modò à DEO profectum. Cumq; Scriptura Sacra suâ intrinsecâ naturâ constet verbis ex institutò significantibus, ad manifestandos DEI conceptus ex immetâ inspiratione Spiritus S. in literas relatis, juxta 2. *Tim.* III. 16. idèò non dubitant Nostrates, nec dubitare possunt, Scripturam in se & suâ intrinsecâ naturâ esse verbum DEI; & vice versâ verbum DEI, in se & ut verbum DEI spectatum, in literis sacrae Scripturæ contineri.

XII. *Alterum* autem, seu quòd verbum DEI quatenus in se spectatur, sit inscriptum animabus fidelium & sanctorum; non unò nomine Nostratibus suspectum aut exosum erit. Nam primò, quòd verbum DEI nullius hominis animo de lege communi inscribatur, nisi voce aut scriptò ei exhibitum, adeòque lectione vel auditu perceptum fuerit; communis est Nostratium sententia, juxta illud *Rom.* X. 10. *Fides est ex auditu; auditus autem per verbum DEI.* Cum autem Anonymus negat, verbum DEI in se spectatum voce scriptòve contineri; quomodo dici poterit, verbum DEI inscribi in animas hominum, ut tamen salva maneat illa Nostratium sententia, quòd verbum DEI non nisi voce aut scriptò mediante mentibus hominum inscribatur? nisi enim voce scriptòve verbum DEI proprie dictum contineat.

B

nea.



neatur, & sit verbum DEI propriè dictum, quomodò mediante voce scriptòve inscribetur in animos hominum? Deinde, quos Anonymus *fideles & sanctos* dicit, eos Costerus nomine *Ecclesie & successorum Apostolorum* nobis exhibet; & contextus verborum apud ipsum Anonymum docet, eum quoque nomine *fidelium & sanctorum* intelligere illos, qui *doctrinam fidei in Ecclesia proponunt*; & ut sub finem discursus dicitur, *auctoritatem ac potestatem* docendi, adeòque missionem legitimam habent. Hinc verò duplex nascitur difficultas: *Una*, quò pacto Anonymus, cum fundamentum à Pontificiis pariter ac Protestantibus admittendum ponit, Ecclesiam, & homines *fideles & sanctos*, pro iisdem habere possit; cum aliàs notum sit, Pontificios damnare eam sententiam Protestantium, quâ Ecclesiam per cœtum verè credentium & sanctorum definiunt; quasi videlicet præter hos etiam non-sancti, modò vel fidem humanam habeant, vel saltem professione externâ societatem cum Ecclesiâ colant, reverà ad Ecclesiam, tanquam propriè dicta ejus membra, pertineant: *Altera* difficultas inde est, quòd, cum nomine *fidelium & sanctorum* intelliguntur illi, qui verbum DEI proponunt, per petitionem ejus, quod in principio est, supponitur, & à Nostratibus concedi fingitur, verbum DEI quatenus in se spectatur, quærendum esse in animabus prælatorum Ecclesiæ: quos tamen non simpliciter, sed solùm, quando aut quatenus in hærent Scripturæ, verbum DEI penes se habere docent Nostrates.

XIII. In tertio fundamenti membro itidem deprehendimus, quæ Nostratibus nunquam probabuntur. Nempe cum verbum DEI in Scripturis comprehensum pro principio *divinis* & normâ planè certâ Doctrinæ fidei à Nostratibus habeatur; iidem etiam, cum *Luca* Evangelista, Scripturam S. eò fine ex Divina voluntate consignatam credant, *ut habeant homines certitudinem eorum, de quibus viva voce informantur*, cap: I. 4, Anonymus tamen, quasi horum omnium immemor, generalis fundamenti instar à Nostratibus admitti postulat, quod ipsorum sententiæ planè contrarium est; nempe Scripturæ S. ingentem incertitudinem, & quod e. g. *Evangelium Johannis, quatenus*



*an Lutherani, conscientie sue rectius consulant?*

II

nus continetur in Scripturâ certe lingue, sit corruptibile, actu ipso  
pro ratione variorum cœtuum mutatum, & contrariis opinionibus  
obnoxium: sed quis Nostratum hæc admiserit unquam, & ex his,  
tanquam fundamentò quòdam adversus se argumentantem fe-  
ret, atque à reatu petitionis ejus, quod in principio est, im-  
munem habeat? Aut, num fortè Nostrates amplectentur pri-  
dem à se reprobatum errorem Pontificiorum, de fontibus Scri-  
pturæ in tantum corruptis, ut in tractandis fidei controversiis  
non amplius, quid reverà Θεόπνευστον fuerit? quid non? distin-  
gui possit? Anne credent Nostrates, verbum DEI hoc ipso,  
quod in Scripturis continetur, contrariis opinionibus esse ob-  
noxium, aut ut Erbermanni verba habent, revelationem divi-  
nam non habere ex se connexionem cum mysterio revelatò, cum ver-  
ba quibus illud revelatur, ex natura sua indifferentia sint, ut signifi-  
cent hoc objectum, vel illud? Meliora utique edocti Protestantes,  
pro certò habent, DEUM peculiari providentiâ custodire scri-  
pturam suam, ut semper superstes atque incorrupta manens,  
profit ad id, ut credamus Jesum esse Christum filium DEI, & ut cre-  
dentes vitam habeamus in nomine ejus: Job. XX. ult. & ut utilis sit ad  
doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem  
que est in justitia, ut perfectus sit homo DEI, ad omne opus bonum  
plenè instructus. II. Tim. III. 16. 17. Nòrunt Nostrates, Scriptu-  
ram suâ intrinseca naturâ constare vocibus ex instituto signifi-  
cantibus, in suo contextu ita inter se aptatis & constructis, ut  
id, ad quod significandum ex intentione Auctoris, DEI, desti-  
nata sunt, non aliud, significant, & potentia cognoscendi re-  
præsentent; adeòque habere connexionem cum objectis re-  
velatis tantam, quanta inter signa & res signatas esse potest:  
Quòd autem in diversis cœtibus non eadè est Scripturæ, quoad  
clara de dogmatibus fidei dicta, interpretatio; id sicut vitiò  
hominum & ex accidente fit, ita non facit ut Scriptura ipsa, aut  
verbum DEI, quatenus Scripturis comprehensum est, hoc i-  
pso incertum, sibi non constans & variis opinionibus sit obno-  
xium.

XIV. Quoad quartum fundamenti membrum, quò dicitur,  
verbum DEI quatenus in animabus fidelium & sancto-  
rum



rum continetur, esse certum, constans, immutabile & secum accurate concordans; equidem non difficulter concedent Nostrates, sicut una est fides, eaque tota ex verbo DEI pendet, ita in omnium verè fidelium & sanctorum animabus, hòc ipso, quòd vera fides in illis est, esse etiam verum DEI verbum inscriptum, & manere inscriptum tamdiu, quamdiu ipsi sunt & manent verè fideles; cumque semper DEUS fidelium quendam coetum in orbe terrarum conservet, ita semper etiam idem DEI verbum constanter in animabus fidelium inscriptum permanere, & eatenus secum concordare, neque ita mutari unquam, ut non aliqui supersint fideles, sincerum DEI verbum in animabus suis retinentes. Sed hoc non est, quod vult Anonymus, verùm longè aliud quiddam. Nimirum, sicut nomine fidelium & sanctorum intelligit Ecclesiam visibilem, eamque, quam aliqui repræsentativam vocant; in prælati Ecclesiæ eorumque capite consistentem; ita cum dicit, verbum DEI quatenus in animabus fidelium & sanctorum inscriptum extat, esse æternum, certum ac nulli mutationi obnoxium; mens ejus denique huc redit: verbum DEI, quatenus in corde Ecclesiæ, sive eorum, qui Ecclesiam repræsentant, continetur, & ab illis proponitur, non solum omnis corruptionis & erroris expers esse, sed ne quidem unquam potuisse aut posse corrumpi. Sed quemadmodum hoc idem est, ac si dixisset Anonymus, verbum DEI purum & incorruptum sic esse & manere penes Ecclesiam, ut professio seu doctrina publica, quæ nomine Ecclesiæ fit, aut proponitur, nullo errore sit contaminata, & ne quidem capax affundendi erroris; ita nosse debebat Anonymus, hanc esse illam sententiam, quæ pridem displicuit Nostratibus: qui potius existimant, juxta vaticinia Scripturarum eventurum fuisse & evenisse, ut, prævalentibus ubique locorum hypocritis & malis corruptelæ & falsæ doctrinæ nullibi non admiscerentur professioni aut doctrinæ publicæ, adeoque fieret aliquando, ut verbum DEI, quatenus à Visibili Ecclesiâ tenetur & proponitur, non esset purum & incorruptum, sed figmentis hominum & adulterinis doctrinis depravatum.

XV His autem observatis, quid de ipsâ demonstratione Anonymi, quæ fundamentò istò nititur, sentiendum sit, quòdque illa



*an Lutherani, conscientie suae rectius consulant?*

illa tota, quanta quanta est, nulli9 roboris esse possit, facile quivis intelligit. Conclusionū certē veritas ex veritate principiorū pendet, & si principia dubia aut omninō falsa sint, quō pacto conclusiones majorem invenient fidem? Neque enim hīc opus est, ea quæ diximus, quoad ipsarum sententiarum veritatem probare prolixiq; sed sufficit, breviter indicasse, quomodō, quæ ille principia & fundamenta communia atque utrinq; concessa esse dicit, non sint communia atque utrinque concessa, neque adeō possint principiorum aut fundamenti vim & rationem habere. Sed videbimus tamen, quid Anonymus (1) ad tranquillitatem conscientie hominum Pontificiorum; & (2) ad scrupulos conscientie hominum Evangelicorum monstrandos, nobis porrō exhibeat.

XVI. Priore locō deprehendimus Auctorem occupari in solvendis his, quæ homini Pontificio præcipuē objici soleant. Duo autem sunt, quæ memorat: 1. *Hoc (quod Pontificii tenent) non extat scriptum. Ergō traditio nova & humana est.* 2. *Oppositum (ejus, quod tradunt Pontificii) scriptum extat. Ergō est traditio verbo DEI contraria.* Quōd autem neutra obiectio possit angere hominem Romano-Catholicum; sic declarat: *Nam dum credit quod vox Ecclesie suæ, vox DEI sit, aut verbum DEI, vivā voce hominum propositum (quippe quibus Christus promisit, quod Spiritus Sanctus, Spiritus veritatis nunquam illis defuturus sit,) nulla Ecclesie traditio, humana traditio esse poterit, multō minus verbo DEI contraria, licet in verbis contradictio esse videatur: cum non qualibet apparens contradictio, vera sit, & quia nulla contradictio est inter verba DEI, sed tantū inter humanum & dubium signum verbi Divini, quæ additā decisione aut interpretatione exprimit: & perpetuō valeat oportet sententia Apostolica: Ita placuit Spiritui sancto & nobis.*

XVII. Hinc ad specialem tractationem, de Ecclesiā Romanā descendens Anonymus. *Ut autem, ait, Romanam Ecclesiam pro tali Ecclesiā habeam, etiamsi alia ex claritate doctrine, & historiis temporum desumpta argumenta deficiant, mihi tamen sufficiant illa, quæ vidi, in conversione peccatorum à vitā impiā ad verē Christianam, quales mutationes, neque in Lutheranorum historiis,*





neque in vita communi eorum inveniri possunt. Atque ego omnem providentiam DEI tollerem, si crederem, quod DEUS illis, qui falsa doctrina adharent, majorem industriam feliciorumque successum in conversione peccatorum largiatur; quam possessoribus verae doctrinae, aut quod DEUS illustriora faciat bona opera errantium, quam illorum, qui in veritate fidei ambulant: Cum tamen veros discipulos suos tales esse voluerit, ut opera ipsorum Patrem glorificantia, mundo innotescerent.

XVIII. Confirmaturus, quæ hæc hactenus dixerat, ita pergit: Ubi DEUS operatur, ibi etiam loquitur. Itaque Catholicus nihil humani agnoscit in doctrina sua, neque etiam à quoquam poterit convinci, quod ullibi Scripturae sacrae contrarium docuerit. Ideò, etiamsi mandatum humanum ab Ecclesiâ profectum esset, (cùm tamen contradictio fuerit, aliquid humanum aut non à DEO, & simul à DEO esse,) certò nihilominus est, dum Ecclesie obedit, DEO gratum opus se prestare: quia DEO obedientia Rechabitarum adeò grata fuit, quam paterno statuto exhibuerunt, cùm à vinò abstinerent &c. ut etiam promitteret, nunquam ex ipsis defuturum, qui coram ipso staturus sit.

XIX. Pertinet huc etiam, quod post paulo differit: Catholicus (Pontificius) credit, quod DEUS idem, qui per Prophetas & Apostolos locutus est, reverà etiam per veros illorum successores verbum suum sub duplici signo, nempe vocis & scripturae proponat, quodque adeò viva vox sit vivum testimonium de consensu signi scripti cum verbo DEI, quod verba ejus operibus ipsis confirmet. Idem etiam nec de conservatione nec de interpretatione signi humani in sua societate dubitare poterit; neque etiam videt alios sibi ex illò principio sive fundamento quicquam ostendere posse, quod sibi adverte-

XX. Hæc sunt, quibus Anonymus securitatem religionis Pontificiæ satis demonstrari, & dubia scrupulosve, qui fortè certitudini fidei Pontificiæ objiciantur, solvi posse putat: sed quæ nec sufficiunt ad hunc scopum, neq; inter se satis concordant.

XXI. Nam primò si maximè concedatur, quod in præmissò fundamentò dicebatur, verbum DEI purum & incor-

rup.



ruptum semper esse penes Ecclesiam; tamen quod nunc additur, *talem Ecclesiam*, verbi DEI custodem, esse *Ecclesiam Romanam*, ratione admodum infirma & fallace nititur, nempe ab exemplis sanctimoniarum eorum petita, qui aliunde ad Romanam Ecclesiam accedentes, unâ cum religione, vitam improbam, & homine Christiano indignâ, cum meliore ac verè Christianâ commutârunt. Faciunt ad agnoscendam hujus argumenti infirmitatem, quæ in antè citata Disp. Dn. Præses differuit, §. XXV. XXVI. XXVII. quibus nunc breviter addimus, quod Ludovicus XII. Galliarum Rex, cum à Cardinalibus & Episcopis ad persequendos ferrò atque igne Waldenses sollicitaretur, missisque prius Legatis, qui religionem & vitam illorum penitus explorarent, cognovisset, *homines illi baptizari, articulos fidei & Decalogum doceri, Dominicos dies religiose coli. DEI verbum exponi, veneficia & stupra apud eos nulla esse &c.* jure jurando additò dixit: *Et me & populo meo Catholicò illi meliores sunt.* Cui consentiens Claudius Seifellius, Archiepiscopus ejusdem temporis, quamvis ex professo contra Waldenses scriberet, ipsos tamen esse *homines probos, integros, innocentes, in conversatione irreprehensibiles & præceptorum DEI sedulos observatores,* professus fuit. Itaque eâdem viâ, quam nunc Anonymus ingreditur, Waldenses illi contra Pontificios, præsertim ipsorum Adversariorum testimoniis muniti, ex sanctitate illa sua, *operationem DEI*, ex hac porro certam *DEI locutionem*, & sic denique suam *Ecclesiam veram, & verbum DEI verum* penes se esse ostendere potuissent. Locum etiam habuisset argumentum à *providentia Divina* petitum, seu quod hanc alioqui negare necessum fuerit, si dicatur aut concedatur, falsæ doctrinæ assertores in convertendis peccatoribus tantò successu pollere, eorumque opera bona adeò esse illustria, ut superent possessores verioris doctrinæ. Possemus plura hîc adjicere, sed sufficiant interim hæc pauca, quibus Anonymus de argumenti sui imbecillitate admoneatur.

XXII. Deinde, quod ad argumentum illud attinet: *si vox Ecclesie vox DEI certissima est, sequitur hominem Pontificium, de vero DEI verbò, Ecclesia proponente audiendo, planè securum esse:* Anonymus quidem, receptò apud suos more, propositionem aut locu



locutionem Ecclesiæ plus satis extollit, verum non declarat, quâ ratione is, qui in Ecclesiâ Romanâ vivit, certus esse possit, quanam locutio aut propositio doctrinæ fidei, verè sit locutio Ecclesiæ? quæ non? Nempe notum est, Pontificios ipsos de propositione Ecclesiæ immane quantum dissidere, cum aliqui dicant, ab Ecclesia propositum & creditu necessarium esse, quicquid à Papa in Concilio universali, vel etiam à Concilio universali solò definitum, & ad credendum propositum fuerit; alii verò negent, creditu necessaria esse, quæ ab universali Concilio solò, absque Papæ consensu aut confirmatione definiuntur; & contra, quæcunque à Papâ, sive solò, sive unâ cum Concilio particulari aut universali, vel etiam à Concilio quocunque per Pontificem confirmato, definiuntur & credenda proponuntur, creditu necessaria esse dicunt. Priorem sententiam amplectuntur Parisienses & Concilia Pisanum, Constantiense & Basileense, itemque Doctores alii celebres, referente *Tannerò Tom: III. Theol. Schol. Diss. I. Q. IV. dub. VII.* Posteriores verò tenent Jesuitæ & alii Pontificis adulescentes, qui tamen & ipsi in partes abeunt; quatenus alii existimant, ea quæ Pontifex solus, & extra concilium definit, tum demum esse creditu necessaria, quando is in definiendo maturè processerit, auditò consilio Pastorum aliorum; alioqui posse eum in proponendo errare: alii verò contendunt, per divinam providentiam fieri non posse, ut Papa non maturò consilio definiat: adeoque creditu necessaria esse etiam illa, quæ Pontifex solus, nemine Pastorum in consilium adhibitò proponit. Confer *Dn. D. Job. Musæi Tract. de Convers. Diss. IX. cap. IV. §. LXXI. p. 642. 643.* Sed & Concilii Tridentini, quod à Pontificibus confirmatum est, & generale atque Oecumenicum fuisse jactatur, non est tanta auctoritas, ut decreta ejus recepta sint ab omnibus, qui Romanæ Ecclesiæ membra censentur: quemadmodum, ut alios taceam, collectis variorum testium relationibus fide dignis, nuper ostendit *J. H. Heideggerus in Annot. Concil. Trid. p. 1271. seqq.* Ut adeò tandem nescias, ubi nam illa vox Ecclesiæ querenda sit, ita quidem, ut inveniri possit. Nam si Papæ vocem dicas esse vocem Ecclesiæ; præterquam quòd alia multa sunt quæ dubium moveant, intra ipsa Romanæ Ecclesiæ po-



fiæ pomœria occurrent, quæ stante istâ hypothesi concludunt, Ecclesiæ fallibilitatem, lapsusque ipsos non paucos neque leves hinc secuturos, neque amplius negandos esse. Vidd. *Epistole synodales PP. Basileensium*. Si Conciliorum absque Papâ decernentium vocem dicas esse vocem Ecclesiæ, fatendum erit, vocem Ecclesiæ esse, quòd Papa non sit reverà Caput Ecclesiæ; quòd *Bellarminus* ipse agnoscit, *lib. IV. de Pontif. Rom. Cap. 1.* Si conciliorum universalium à Papa confirmatorum decreta dixeris esse vocem Ecclesiæ, quid de Galliâ, illustri Romanæ Ecclesiæ parte, aliisque senties, ubi Concilii Tridentini decreta, non pro voce Ecclesiæ, sed hominum fallibilium aut fallacium sententiis haberi consueverunt. Præter hæc verò ubi tandem quæres, unde disces vocem Ecclesiæ?

XXIII. Itaque quòd Anonymus noster scribit, ea, que homini Catholico possint objici, duobus membris commodè posse comprehendì: 1. non extat scriptum; ergò est nova traditio humana 2. oppositum extat scriptum; ergò est traditio verbo DEI adversa: utut fortè, quoad singula dogmata, quæ à Pontificiis recepta sunt, à Nostratibus autem rejiciuntur, rectè dictum esse, & summam objectionum his contineri, concedi possit; generalem tamen & quasi palmariam rationem dubitandi, unde certus esse possit homo Pontificius, se quoad creditu necessaria audivisse veram Ecclesiæ vocem, seu astutè, seu negligenter omissam apparet.

XXIV. Accedit tertio, quòd Anonymus hominem Pontificium simpliciter in auctoritate proponentis verbum DEI acquiescere jubet. Atqui sicut verbum DEI parochus quilibet censetur proponere; ita Anonymi istud assertum cum *Cardinalis de Lugo* sententia coincidere videtur, quâ statuit ille, locutionem Parochi, quâ credenda proponit, verè esse locutionem DEI; Parochum esse aliquò modò os DEI, per quod mediatè & aliquò modò ad homines loqui dignetur. Sed quàm futilis sit ista seu opinio seu *πρόφασις*, imprimis ideò, quòd de intrinsecâ ratione locutionis Divinæ propriè dictæ est, eam esse infallibiliter veram; Parochum autem in proponendâ revelatione Divinâ non rarò fallere, experientia quotidiana testatur: pridè ostendit laudat

C

D. Mu-



D. *Museus Tract: de Eccl: part. 1. Disp. IX. §. XLVI.*  
 feqq.

XXV. Neque est, quòd objiciat Anonymus promissionem Christi, quòd proponentibus verbum *nunquam defuturus sit Spiritus Sanctus Spiritus veritatis*: (quæ verba ejus supra §. XVI. recensuimus:) unde enim probaverit, hanc promissionem indifferenter quibusvis hominibus verbum DEI proponentibus, non autem præcisè Apostolis, absolutè factam? Certè (ut saltem καὶ ἐν ἑσπερίῳ disputemus) totidem verbis illud, quod vult Anonymus, non legi in Scripturis, negari non potest. Ex verbis autem, sine respectu ad proponentem, per consequentiam colligi posse, negat Anonymus: An autem, quod ex verbis ipsis, citra respectum ad proponentem, colligi non potest, nihilominus tanquam verbis significatum admitti & credi possit, propter auctoritatem dicentis, seu verbum proponentis? ipsum h. l. κενώμενον est, quod principii rationem ad probandam contra dissentientes conclusionem habere nequit. Et sic non tam probat aliquid, quàm sibi ipsi repugnat, aut certè circulum committit Anonymus.

XXVI. Similiter vanum est, quod ad tollendas contradictiones dogmatum aut praxeos Pontificiorum cum verbo scripto, suadet aut præcipit Anonymus: *Semper valere debere Apostolicam illam sententiam: sic placuit Spiritui Sancto & nobis.* Venit hîc in mentem, quod Cl. Sanctius, Lotharingi Cardinalis in Concilio Tridentino comes & παρὰ τῆς, dixit: *In Tridentinâ synodô secus quàm in Apostolicâ Hierosolymitana plus NOBIS, quàm Spiritui Sancto, tributum est.* Idem enim etiam hîc ab Anonymo factum, verè dixeris. Nempe quoties verba Scripturæ repugnare dogmatibus Pontificiis deprehenduntur, ita quidem, ut & nativa vis significandi, & contextus, & quòd sedes dogmatis in illò locò est, & loca parallela alia repugnantiam illam probent; ne tamen concedendum sit, Spiritum Sanctum in verbis Scripturæ affirmare, quod negant, aut negare, quod affirmant Pontificii; admitti, juxta Anonymum debet qualiscunque verborum Scripturæ interpretatio, restrictio, ampliatio, catachresis, aut ipsius textûs, quasi corrupti, mu-



mutatio; modò Ecclesiæ Romanæ consensu seu expressò seu tacitò, quicquid ejus est, quod retinetur, nitatur. Hòc autem sanè modò quantum Scripturæ, tantum & Spiritui Sancto detrahunt, atq; adeò parum aut nihil Spiritui Sancto, plus autè aut omnia sibi tribuunt Pontificii. Nam si fortè dixerit Anonymus, quicquid in isto negotio facit Ecclesia, id facere eam cum peculiari assistentiâ & directione ipsius Spiritûs Sancti, qui sibi ipsi contrarius non sit, nec esse possit: præterquam tamen, quòd hæc petitio fuerit ejus, quod in principio est; illud quoque imprimis expendendum venit, utrum, non dicam verum, sed saltem verosimile sit, Spiritum Sanctum in eâ scripturâ, quam per inspirationem peculiarem consignari fecit, & per quam homines ad fidem & salutem perducere vult, sic esse locutum, ut etiam, ubi ex professò certum dogma tractat, non tamen id, quod verba ex usu loquendi, & contextu ac locis parallelis svadentibus significant; sed aliud, nescio quid, aut oppositum illius aliunde discendum, intelligi voluerit? item, an providentiæ Divinæ conveniens sit permittere, ut ea Scriptura, quæ ad docendum ad redarguendum &c. homini Theologo, ut tali, adeoque cuilibet, in tantum utilis esse debebat, ut perfectè instructum atque idoneum reddat; in tam infelicem deveniat sortem, quâ non id, quod Scripturæ superstitis verba, etiam ubi ex professò de certo capite agitur, significant; sed plane aliud, aut contrarium, tanquam divinitus revelatum doceri; illud verò, quod verba prædictò modò significant, pro erroneo haberi & redargui debeat? Huc autem denique descendendum est Anonymo, quando, præcisa auctoritate Ecclesiæ, verbum scriptum cum dogmatibus Romanæ fidei conciliari non posse agnoscit; certè Nostribus, repugnantiam illam objicientibus, aliter respondere, & dubia solvere non audet: & tamen Scripturam dogmatibus Pontificiis apparenter solùm, non autem reverà contradicere contendit. De cætero, sicut Apostoli in concilio Hierosolymitano rectè dixerunt: *sic placuit Spiritui S. & nobis*; cum haberent Spiritum S. sibi perpetuò assistentem, ejusque ductu Epistolam illam, tanquam primam N. T. Scripturam (ut est communior sententia) ederent; ita alios, post





consignatum Scripturæ Canonem, quique non se ad Scripturas, sed ad suum iudicium illas, alligari volunt; tamen quoad decidendas quaslibet controversias tantundem sibi tribuere, ut quod sibi placet, Spiritui S. æque placere jactitent; maxima temeritas est.

XXVII. Equidem hîc instat Anonymus: *Catholicus*, inquiens, credit, quod DEUS idem, qui per Prophetas & Apostolos locutus est, revera etiam per veros illorum successores verbum suum sub duplici signo, nempe vocis & scripturæ proponat, quodque adeò viva vox sit vivum testimonium de consensu signi scripti cum verbo DEI, quod verba ejus operibus ipsis confirmat. Sed unde probabitur, DEUM, sicut per Prophetas & Apostolos locutus est, ita etiam per veros illorum successores verbum suum proponere? nempe ut quicquid hi tanquam verbum DEI proponunt, DEI per ipsos loquentis verbum certum & infallibile sit & credi debeat? Tacet hîc Anonymus. Videtur quidem, cum probationem aliam non afferat, in ipsa ratione successionis eam ponere, ut sensus sit; successores Apostolorum hoc ipso, quòd successores Apostolorum sunt, habere illud, quòd per illos DEUS loquitur: & sic assertio Auctoris habere debet naturam propositionum per se in quartò modò: (ut loquuntur Logici:) in quâ causa, cur prædicatum subjecto insit, in ipso subjecto includitur, quæque proinde universaliter vera est, & de omnibus sub subjecto contentis sine exceptione valet. Sed si ad hunc modum dixerit Anonymus; Quicumque sunt successores Apostolorum, per eos loqui DEUM, sicut locutus est per Apostolos; dicat ergò ulterius: annon multarum Ecclesiarum Apostolicarum Præsules, atque adeò Apostolorum successores, defecerint à fide, ita ut hæretici & hæresin profitentes essent? Sanè omnes sedes Patriarchales, exceptâ Romanâ, hòc modò defecisse, fatetur & experimentò imprimis constare dicit Bellarminus; idque exemplis pluribus confirmat *Lib. IV. de Pont. Rom. Cap. III. sub finem.* Tot ergò successores Apostolorum, qui errores pro vero DEI verbò proposuerunt, infringunt universalitatem assertionis illius, & testantur, non posse tutò credi, quòd DEUS, qui per Apostolos locutus est, loquatur etiam per successores eorum; idèò, quòd hi sunt successores Apostolorum, & verbum DEI proponen-



ponendum sibi sumunt. Sed de his itidem tacet Anonymus. Quod si non quibuslibet quorumvis Apostolorum successoribus, sed præcisè successoribus Petri in sede Romanâ privilegium illud competere dixerit Anonymus; respondeat porro: (1) unde habeant Petri successores, quod aliorum Apostolorum successores non habent? Scripturæ loca, quibus aliàs Pontificii putant Petro præ aliis Apostolis aliquid tribui, nos quidem facile ostendemus, non solum nihil potestatis judicariæ in rebus fidei tribuere Petro, quod non aliis Apostolis æquè tribuatur: verum etiam, quod Petro promittitur infallibilitatis, non ideò ad successores ejus extendi debere. Sed, quod ad præsens attinet, ubi neque Auctor ullum in hanc rem Scripturæ locum adduxit, nec, nisi habitò respectu ad proponentē, verum sensum inveniri posse statuit, nec tamen denique ad auctoritatem proponentis Ecclesiæ Romanæ, quæ demum hic probanda est, nisi per petitionem ejus quod in principio est, provocare potest; possumus sanè, ac fortè debemus à labore illo abstinere. (2.) dicat Anonymus; quare, quod successores Petri in sede Antiochena, & Hierosolymitanâ & Cæsareanâ (in quibus sedisse Petrus creditur) non habent, soli in sede Romanâ successores habeant? (3.) unde successionem Apostolicam *veram* (quam ad locutionem DEI requirit) Romanorum Episcoporum, eorumque omnium, probare aufit? præsertim cum non paucos nefandis artibus occupasse illam sedem, aliquando duos tresve simul regnasse, neque ut socios, sed ut æmulos aut hostes vixisse, ex historiis constet. (4.) dicat Auctor, qualis nam ergò tunc fuerit successio Apostolica Episcoporum Romanorum, cum vergente ad finem seculò IX. *intruderentur in cathedram Petri, homines monstruosi, vitâ turpissimi, moribus perditissimi, usque quaque foedissimi; quæ sunt verba Baronii in Annal. ad Ann. 897. n. IV. item, cum omnia Romæ tam sacra quàm profana factionibus miscerentur, & penes illam partem esset promotio ad Apostolicam sedem Romani Pontificis, quæ potentior appareret, ut modo Romanorum proceres, modo Etruriæ Principes intruderent seculari potentiâ, quem vellent, & deicerent, quem possent, Romanum Pontificem à contrariâ factione promotum: qualia totò ferme seculò decimò actitata, scribit*



Baronius idem ad *Ann. 900. n. VII.* & Pontifices illos *sedis Apostolica inuadores, non Apostolicos, sed Apostaticos* esse dicendos iudicat ad *A 908 n. IV.* hic, inquam, Episcoporum Romanorum successionem Apostolicam monstret Anonymus; dicat, quomodo tunc DEUM per veros Apostolorum successores loquentem audire, & ex *vivâ* horum voce *vivum testimonium de consensu signi scripti cum verbo DEI*; quod verba eius *OPERIBUS* ipsis confirmet, habere homines potuerint: aut fateatur, nullos tunc temporis fuisse aut potuisse esse fideles, de verbo Dei sibi propositò certos: aut agnoscat, posse hominem quoad veræ fidei certitudinem consulere conscientia, sine respectu ad proponentis auctoritatem.

XXVIII. Quod prætereà de *obedientia mandatis Ecclesie præstandâ*, & exemplo *Rechabitarum* differit Anonymus, quæq; h. l. §. XVIII. repetivimus; quid ad præsens faciant, non apparet; ideoque peculiarem refutationem non addimus; breviter tantum monentes, nullam esse istam consequentiam: *Rechabita*, mandatum Patris in re indifferente, ex obedientia filiali, sequentes, DEO placuerunt: Ergò homo Catholicus, si tanquam divinitus revelata, & per se creditu necessaria, recipiat teneatque, quæcunque proponit pater aut mater spiritalis, etiamsi cum Scriptura non consentire videantur, tamen certus est, hanc suam obedientiam DEO placere. Plura in re clarâ non addimus.

XXIX. Interim ex dictis patet, liberalem illum certissimæ securitatis promissorem parum ac nihil præstare, ac potius dubitationibus & tentationibus gravissimis exponere suam aliorumque conscientiam: v. g. ut præcipua denuò numeremus: (1) an rectè credatur, Scripturam, quam Christiani communiter pro verbo DEI habent, & Pontificii ipsi ex Divinâ inspiratione conscriptam esse negare non possunt; non esse propriè verbum DEI, sed signum ejus dubium? (2) an rectè credatur, Scripturam, quam Divina providentia vult esse medium erudiendi homines ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu, sic tamen esse mutatam ac depravatam, ut non possit erudire homines ad salutem, nisi intercedente auctoritate & non-



nunquam emendatione proponentis? (3) an recte credatur, Scripturam, quae est similis *lucernae lucenti in loco caliginoso*, ita ut quod haec noctu iter facientibus praestet, hoc illa in tenebris hujus vitae ad salutem tendentibus praestet; sic tamen esse ambiguum, ut verum sensum, & mentem Spiritus S. de his quae creditu & factu sunt necessaria, non monstrat, nisi ei lucem largiatur, qui proponit? (4) An rectius credatur hominibus, quos immediatò afflatu divinò gaudere non constat, quàm verbis Scripturae, ex divinâ inspiratione consignatae? (5) an sine haesitatione pro Ecclesiae DEIque ipsius voce habendum sit, quod illi proponunt, qui ne inter se quidem, quae & qualis sit illa Ecclesia, consentiunt? (6) an illis, tanquam privilegium infallibilitatis in proponendo verò DEI verbo habentibus, sine omni formidine fides habenda sit, qui privilegium hoc in jure quòdam successionis fundari dicunt, & tamen neque privilegium hoc tale esse, quod successionis beneficio propagetur, nec successionem legitimam atque constantem docere possunt, sed potius historiarum fide refutantur? (7) an ratio dignoscendi verbum DEI certum à dubiò aut falsò, à causâ vel conditione tali suspendi possit aut debeat; quâ admittâ fatendum fuerit, per centum & plures annos neminem fidelium de verò DEI verbo certum esse potuisse? Hæc, inquam, & alia plura suspensam tenent mentem hominis, Anonymi dum sequentis, & morsus conscientiae non leves sive gignunt, sive relinquunt. Sed de his plus satis diximus: etsi plura, nisi brevitati studeremus, ad declaranda animarum pericula, ex doctrina Anonymi & consentientium Pontificiorum aliorum resultantia, dicere possemus.

XXX. Ad posteriorem, sive mavis postremam partem discursûs Anonymi progredimur; quâ *scrupulos conscientiae hominum Lutheranorum*, seu quorumvis à Pontificiâ religione discrepantium, monstrare conatur. Primùm hîc ait: *Qui verò scriptum signum verbi Divini solum recipit, sine respectu ad proponentem, dupliciter fallitur; 1. dum putat, in scriptò signò nihil nisi divinum præstò esse, licet diversa exemplaria contrarium ostendant. 2. dum contendit, in signò non-scriptò, sive in vivâ voce, nihil nisi humanum adesse; nec poterit sequentes objectiones solvere:* (1)



(1.) *Cum tot contraria signa humana verbi divini reperiantur, quot sunt societates diversa Christi nomen profitentes; & tamen non nisi unicum incorruptum esse possit; unde dignoscetur, quodnam ex omnibus sit illud unicum incorruptum?*

(2.) *Cum illius dubii signi tot tamq̄, diversa sint interpretationes, quot sunt societates, de illò articulo inter se litigantes, & tamen non nisi una à DEO esse possit, unde cognoscetur, quanam ex pugnanti- bus à DEO sit?*

(3.) *Cum omnes, qui ab Ecclesia discedunt, ad scriptum signum provocent, quamvis adversus se invicem pugnent; nonne hoc solum sufficiat, ut inde conjiciatur, quòd non qualibet provocatio ad signum scriptum tuta esse possit? Hæc ille.*

XXXI. Sed hæc omnia, vana sunt terriculamenta. Et quidem, quòd velut in antecessum dicit Anonymus, eum qui solum scriptum signum verbi divini, sine respectu ad proponentem, recipit, dupliciter falli &c: dupliciter falsum est. Falsum, inquam, est, Nostrates, quos hîc in primis tangit Auctor, putare, in scripto signò nihil nisi divinum esse, licet diversa exemplaria contrarium ostendant. De versionibus Scripturæ, opinor, non loquetur Anonymus, neque tribuet Nostratibus, quasi statuant, in his nihil nisi divinum contineri: hoc enim esset, adversus solem loqui: si verò non de versionibus, sed de ipsò textu primigenio loquatur, credunt equidem ac docent Nostrates, non solum rerum, sed & verborum conceptus scriptoribus sacris inspiratos, à Spiritu Sancto tanquam causa principali, in solidum dependere, ac porrò ad horum, tanquam formæ & causæ exemplaris, imitationem, externum scriptionis actum accuratè institutum, & Scripturam sacram consignatam fuisse: sed, quem admodum præter *πρωτότυπα* aut *ἀπόγραφα*, quæ scriptores sacri ipsi suis manibus confecerunt, *ἀπόγραφα* alia, aut descripti Codices plures ipsius textus primigenii Scripturæ prodierunt; ita non negant Nostrates, amanuenses aut librarios illos, qui *ἀπόγραφα* textus primigenii confecerunt, humani aliquid pati potuisse, & quosdam alicubi in describendo lapsos fuisse, ut hinc *exemplarium discrepantia* nasceretur: Interim simul monent, divinam providentiam, quæ Scripturam

hominis



*an Lutherani, conscientie sue rectius consulant?*

25

hominum ad salutem per fidem erudiendorum gratiâ consignari fecit, ejusdem finis causâ etiam cavisse, ne in Scripturâ codices simul omnes unquam illaberetur error ejusmodi, qui veræ fidei doctrinæ obstaret, neque ex collatione diversorum codicû animadverti & corrigi sive tolli posset. Atqui hâc etiam Bellarming ipse, licet more sociorum suorum existimet, Scripturas non esse omninò integras & puras, sed habere suos quosdam errores; addit tamen de libris V. T. *non tanti momenti esse ejusmodi errores, ut in iis, que ad fidem & bonos mores pertinent, Scripturæ sacræ integritas desideretur: plerumque enim totam discrepantiam variarum lectionum, in dictionibus quibusdam positam esse, que sensum parum aut nihil mutant. Lib. II. de verbò DEI Cap. II. sub fin. Similiter quod ad libros N. T. attinet, Lib. eòdem Cap. VII. §. Et verò, scribit: Non esse Græcos codices in universum atque omninò corruptos, facile demonstrari potest: nam etsi multa depravare conati sint heretici, tamen nunquam defuerunt Catholici, qui eorum corruptelas detexerint, & non permiserint libros sacros corrumpi.*

XXXII. Quod ad alterum attinet, quò Nostrates falli putat Anonymus; scilicet quò existiment, *in signo non-scriptò, sive in voce vivâ nihil nisi humanum esse*; ipse potius iterum fallitur. Nam quòd in voce vivâ præconum veterum, Prophetarum & Apostolorum, qui locuti sunt *ad i à Spiritu S.* nihil nisi humanum fuerit; nunquam quisquam Nostratum credidit aut docuit. Sed quòd completò Scripturarum Canone, donum Prophetiæ & *θεοπνευσίας* cessaverit, & qui de lege communi docere volunt aut debent verbum DEI, non novis illuminationibus aut revelationibus gaudeant, verùm ad Scripturas ipsas, velut ad principium & normam doctrinæ ac sermonum suorum alligati sint; itidem agnoscunt Nostrates, & contrarium nusquam ostendit Anonymus. Stante autem istâ sententiâ, ulterius, nec malè, docent Nostrates: cum post constitutum Scripturarum Canonem vivâ voce proponitur doctrina fidei, tanquam verbum DEI, si prædicatio, quæ sit vivâ voce, conformis sit ei, quæ in Scripturis continetur, doctrinæ, eatenus utique aliquid, quod non *humanum* sed *divinum* est, nempe ipsam doctrinam divinitus revelatam, in prædicatione vivæ

D

vocis



vocis contineri: præterea verò, quia non solum prædicatio, quæ fit vivâ voce, discrepare potest à Scripturis & doctrinâ ibi contentâ, verùm etiam verba quibus homo doctrinam Scripturarum enunciat, sæpè non sunt ipsa Scripturæ verba, sed ab ingenio humano ad declarationem eorum, quæ seu aliò idioma te, seu concisiùs in Scripturis habentur, quin & ad consequentias ex Scripturâ deducendas, adhibita; eatenus utique de prædicatione vivæ vocis dici non posse quod de Scripturâ dicitur; sed fatendum esse, quòd in eâ aliquid humani; quædam etiam vox viva, quanta quanta est, tota humana, imò falsa & fallax sit. Nam si denique etiam loquatur Auctor de prædicatione vivæ vocis, quâ proponuntur dogmata, quæ neq; quoad verba, neque quoad rem in Scripturis extant, & tamen incredendorum numerum referuntur: sanè non negabunt Nostri, in signo illò seu traditione non-scriptâ & voce vivâ, nihil divini sed humanum omne esse, cum plenitudo sive sufficientia Scripturæ, omnem doctrinam in hâc non contentam, merè humanam, certè non-divinam esse demonstrat. Quid autem hinc sequatur absurdi aut dubii saltem, quod conscientiam hominis Lutherani urgere possit vel affigere, nusquam apparet.

XXXIII. Ad interrogaciones Anonymi, quas ille nobis porrò opponit, jam non amplius difficile est respondere. Circa primam, quâ quæritur: *Cum tot contraria signa humana verbi Divini reperiantur, quot sunt societates diversæ, Christi nomen profitentes; & tamen non nisi unum tantum incorruptum esse possit; unde dignoscetur, quodnam ex omnibus sit illud unum incorruptum?* paucis monemus, quod jam suprâ dicere cœpimus: quoad versiones discrepantes non opus esse, ut unam habeamus planè perfectam, & fontibus sine omni vel levissimo defectu respondentem; sed sufficere, quòd ipsi fontes supersunt, ad quos exortis dubiis accedere, & iudicium inde peti possit: quoad ipsos verò fontes seu textum primigenium Scripturæ (i.) falsum esse, quòd *tot sint contraria signa*, sive tot inter se pugnantes editiones, *quot sunt societates diversæ, quæ Christi nomen profitentur*: cum sectæ hodiernæ Christianorum non tam diversitate exem-



xemplarium textus primigenii Scripturae, quam certis dogmatibus, quae aliis in Scriptura, saltem quoad rem vel sensum, contineri; aliis in eadem Scriptura non contineri, sed contineri illic alia videntur: (2.) varietatem lectionum in diversis Scripturae sacrae exemplaribus non esse talem, ut quoad res fidei & morum non constet, quanam lectio sit genuina & incorrupta; hanc enim potius antiquissimorum & ἀνεβείας nomine celeberrimorum codicum, ac plerumque plurimorum unò velut ore approbari: (quò pertinent quae supra §. XXXI. ex ipso Bellarmino vidimus:) ut adeò otiosa, ne dicam inepta, fuerit cura quaerendi, nescio ubi aut unde, illud exemplar, quod *unum ex omnibus incorruptum sit.* Plura, si opus fuerit, aliàs dicemus.

XXXIV. Circa secundam interrogationem Auctoris, quae hæc erat: *Cum illius dubii signi tot tamque diverse sint interpretationes, quot sunt societates de illo articulo inter se litigantes, & tamen non nisi una à DEO esse possit, unde dignoscetur, quanam ex pugnantibus à DEO sit?* observandum est, ea quae de dubio signo dicuntur, niti falsam hypothese, in præced. quaestione exposita ac jam refutata; ad cætera verò brevissimè ac rectissimè responderi, si dicatur, ex pluribus atque inter se pugnantibus interpretationibus verborum Scripturae, eam à DEO esse, quae fit juxta leges interpretandi, quae partim generales sunt & lumine naturali notæ; v. g. quòd ex antecedentibus & consequentibus, ex occasione, scopò, materiâ, & aliis causis, intentio loquentis sit conjectanda; item, quòd in propria & usitatâ verborum significatione sit persistendum, quamdiu non manifesta circumstantia textus aut subjectæ materiæ conditio, aut alia urgens ratio ad impropiam significationem descendere cogit; partim speciales, ex Scripturae stylo & receptâ sacris scriptoribus consuetudine loquendi, longò interpretum usu observatæ: quales præter Augustinum de Doctr. Chr. & Nostrates multos, etiam Cornelius à Lapide Jesuita collegit, & velut imprimis in Prophetarum lectione à se animadversas commentariis suis in Prophetas Majores præmisit. Ita enim interpretatio fiet κατ' ἀκολουθίαν τῆς πίστεως, juxta Pauli divinum monitum, Rom. XII.





6. & excludetur ἰδία ἐπίλυσις, quam in vitio ponit Petrus II. Ep. I, 20.

XXXV. Equidem hinc procul dubiō excipiet Anonymus; hoc ipsum esse, de quō quæritur: unde scilicet constet, quamam interpretatio sit legibus illis conformis? quæ non? vix enim, ullum esse interpretem, qui non suam interpretationem talem esse jactitet; atqui non posse fieri, ut pugnantium utraque, vel omnes, iisdem legibus sint conformes. Quod huc tendat mens Auctoris, ex tertiâ interrogatione colligimus; quâ dicit, quod ad præsens æque accommodari potest: *Cum omnes, qui ab Ecclesiâ discedunt* (omnes interpretes Scripturæ) *ad scriptum signum* (ad leges bonæ interpretationis) *provocent, quamvis adversus se invicem pugnent; nonne hoc solum sufficiat, ut inde conjiciatur, quod non quelibet provocatio ad signum scriptum* (ad leges interpretandi) *tuta esse possit?*

XXXVI. Possumus ergo hinc unâ, quod ajunt, fideiâ duos parietes dealbare, seu illam instantiam, & hoc dubium tertium, unâ operâ solvere. Certum enim est, utrumque illud, quod vidimus, ad antiqui sophismatis Keddiani formam redire, quod postulavit Jesuita à Nostratibus, ut, si vellent meliores videri cæteris Christianorum nomen profitentibus, sed errantibus, sectis; afferant peculiare fundamentum, quod alii errantes uti, sive ad quod provocare non possint: quippe aliàs non fore causam Nostratium meliorem, quàm illorum, qui æquè ad fundamentum idem provocent. Cui, cum pridem à Dn. D. Museo in peculiari tractatu: *Verteidigung des unbeweglichen Grundes/ dessen der Augsp. Confession Verwandten zum Beweis ihrer Kirchen sich gebrauchen ic.* plenissimè satisfactum, & quod postulatum illud *illegitimum, iniquum, absurdum ac tale sit, quod rei ipsius natura non admittat*; liquidò ostensum fuerit: miramur, Anonymum simili modò Nostrates terreri, & nescio quos scrupulos conscientie ipsorum injici posse putare.

XXXVII. Rem ipsam quod attinet, concedimus Anonymo, non quamlibet provocationem ad leges interpretandi tutam esse posse: sed hinc nihil periculi imminere nobis videmus.



mus. Non enim ex ipsâ provocatione ad scriptum signum, neque ex ipsâ provocatione interpretum Nostratum ad leges interpretandi à se observatas; sed quòd factâ collatione scripti signi seu Scripturæ S. & dogmatum nostrorum, liquidò apparet, & velut manibus palpari potest, illius & horum convenientia: item, quòd factâ collatione legum bonæ interpretationis & interpretationum ipsarum, quibus nostri ea præcipuè Scripturæ loca, quæ ex professo agunt de rebus fidei & morum, (& de quibus hòc locò sermo esse debet) tractant; harum cum illis convenientia illicò sese prodit: hinc, inquam, dogmatum nostrorum sinceritatem & interpretationum receptorum veritatem cognoscimus, & sine formidine tuemur. Nec terremur perversâ aliorum consuetudine, qui ad Scripturam provocare, & leges bonæ interpretationis à se observatas jactare falsò audent: sufficit enim nobis, quòd simili collatione institutâ, fraudes illorum deprehendere, & solidè demonstrare possumus: imò jam deprehendimus ac demonstravimus. Anonymus autem, si quid contrà se posse putat, age, accedat sive ad certa Nostratum dogmata, sive ad certas certorum locorum Scripturæ, quibus dogmata fidei ac morum tractantur, interpretationes, & ostendat, vel ea sacræ Scripturæ, vel has legibus bonæ interpretationis non esse conformes: inveniet, per DEI gratiam, responsiones, unde & nostræ doctrinæ certitudinem & objectionum oppositarum vanitatem cognoscat. Interim verò eum ad legitimum illud uniceque sincerum ac solidum certamen accedere non audet, desinat *μορμολύκεια* ista nobis objicere, ac potius agnoscat, quemadmodum aliàs ubique abusus rei verum usum ejus non tollit; ita in exploratione & confirmatione veritatis abusum fundamenti per se solidi, non posse tollere legitimum ejus usum: & quemadmodum in controversiis Philosophicis, utraque pars litigantium v. g. Thomistæ & Scotistæ opinionem suam sanæ rationi & Philosophiæ conformè jactant: & in civilibus judiciis, quælibet pars jura sibi favere, perhibet; ac nihilominus falsum est, neminem in controversiis Philosophicis ex ratione, aut in causis forensibus ex jure aut legibus civilibus convinci posse; ita falsum esse, quòd ideò, quia



præter Nostrates etiam alii ad Scripturam provocant, Nostrates de dogmatum suorum veritate & cum Scripturis convenientiâ certi esse non possint? Et hæc de *Objectionibus*, quas solvi non posse putavit Anonymus.

XXXVIII. Non minùs solubilis est, quam sub finem discursûs, postquam de securitate fidei Pontificiæ quædam interjecerat, profert objectionem: *Omnes illi, ait, qui cum Catholicis non consentiunt, nihil habent quod opponant adversus unum articulum, qui per concilia, per usum Ecclesiæ, per consensum Patrum, & per interpretationem Scripturæ à Patribus propositam, confirmatus est: nisi aliam interpretationem, interpretationi SS. Patrum contrariam, & à primis fundatoribus suæ societatis prolatam; adeoque credere tenentur, quod omnes Doctores contrariæ interpretationis erraverint, quodque Spiritus veritatis vel auctoribus Reformationis, vel sibi ipsis, sine omni dubio adstiterit: Illud autem unde probabunt?* Supponit Anonymus, articulos illos, quos Pontificii amplectuntur, nostri autem rejiciunt, nisi consensu antiquorum & probatorum Conciliorum, consuetudine Ecclesiæ, & consensu SS. Patrum; nisi enim hoc supponat, frustra fuerit, quod in casu non dabili nostratibus metuendum objicitur. Atqui hoc ipsum certamen de testimoniis antiquioris Ecclesiæ, quæ seculis quatuor aut quinque prioribus fuit, nondum hætenus subiisse Anonymum novimus, nedum ut Protestantes ad agnoscendum illum consensum suis argumentis unquam perduxerit. Quam infeliciter rem gesserit, cum vel solius Augustini testimoniis purgatorium probaturus esset, nuper, admodum in peculiari Disputatione ostendit Dn. Præses. Itaque cætera, quæ falsâ hypothesi nituntur, mentes nostras neutiquam turbare debent. Quando autem etiam disputat Anonymus, neminem posse à Patribus dissentire, nisi Spiritum veritatis Patribus deneget, & sibi aut auctoribus societatis suæ sine dubio adstitisse credat; in primis observandum est, Spiritum veritatis neque Patribus, neque ulli sequiorum seculorum Doctoribus absolute promissum esse, sed in quantum verbo divino, Scripturis sacris comprehenso inhæserit. Itaque, sicut Patres non raro inter se discordant, nonnunquam etiam unus aliquis diver-



*an Lutherani, conscientia sua rectius consulant?* 31


sis in locis contraria proponit, ita non statim pro crimine habendum est, si quis Spiritus veritatis assistentiam planè perpetuam, & actu secundò ubique ac semper sese exerentem, non tribuat Patribus, sed aliquando humani quid passos esse affirmet: neque etiam ab alterâ parte, sibi aut suæ societatis primis Doctoribus infallibilem Spiritus veritatis assistentiam ideò adscribere tenetur, quòd Patribus cespitantibus non subscribit, sed humanâ auctoritate insuper habitâ, ipsi verbo scripto & genuinis bonæ interpretationis legibus potiùs inhæret: quamvis admisâ Scripturæ, quoad dogmata fidei & morum, perspicuitate; (quam & Patres ipsi agnoverunt;) interpretis sincerus, & diligens legum interpretandi observator, non adeò difficulter præcipuorum Scripturæ locorum sensum genuinum invenire, & à se inventum cognoscere, & sic tandem Spiritum veritatis sibi assistere, certus esse possit; licet alii, qui præjudiciis impediti, aut aliàs in leges bonæ interpretationis peccasse deprehenduntur, eatenus non Spiritu Sanctò ducti, sed errasse, rectè credantur.

XXXIX. Restat clausula discursûs examinanda, quæ his verbis constat: *Profectò qui directionem DEI novit in propagatione Evangelii Act: IX. 7. ubi voluit, ut ad Eunuchum S. Philippus, ad Cornelium S. Petrus mitteretur, & cum S. Paulus, etiamsi immediate à Christo ipso conversus, multumque doctus esset, tamen ab Anania audire cogere, quid faciendum esset; & qui solum novit, quanta puritas animi ad intelligendum verbum DEI requiratur, neque sibi facile potestatem interpretationis tribuet, neque cuilibet interpreti utcunque credere, neque internam pacem habere poterit, quamdiu de auctoritate & potestate ejus, per quem verbum DEI & sacramenta accipit, certus non redditur.*

XL. Scilicet Anonymus hòc ultimò conatu ostendere vult, partim exempla Scripturæ, quibus doceatur, DEUM ipsum homines convertendos non voluisse esse contentos verbò scripto, sine respectu ad proponentem; qualia sint exempla *Eunuchi & Cornelii & Pauli*: partim veræ interpretationis Scripturarum necessariam ab auctoritate interpretis dependentiam. Prius, seu exempla quod attinet, (ex *Act. VIII. 29, seqq. cap. IX. 6. 10. seqq. cap. X. 5.*




32 *Utrum Pontif. an Lutherani, conscientia sua rectius consulant?*  
X. 5. 20. *seqq.* petita: nam apud Anonymum solum locus *Act.*  
IX. 7. & quidem quoad exemplum Eynuchi, minus rectè cita-  
tur, quod obiter monemus: ) multum à scopò ablu-  
dit Anonymus, quando ex his, quæ tunc temporis, cum homines ad  
fidem in Messiam, nuper exhibitum, perducendi seu conver-  
tendi essent, & cum Scriptura N. T. Christum exhibitum docens,  
nondum extaret, usu venerunt; eandem rationem conver-  
sionis hominum post constitutum Scripturarum Canonem esse  
debere concludit: in primis etiam errat, quod putat, Eynuchū,  
Cornelium & Paulum non recepisse verbum DEI, à Philippo  
Petro & Ananiâ prædicatum, nisi *habito respectu ad auctoritatem*  
*proponentium*: unde enim hoc probaverit? Quoad posterius verò  
miramur, *puritatē animi* legentis, cū *auctoritate* proponentis seu  
interpretantis confungi aut confundi. Nam præterquam quòd  
illa ad dona sanctificantia, hæc ad ministrantia aliàs refertur;  
non apparet, quâ ratione Anonymus insignem animi purita-  
tem ad assequendum verum sensum Scripturæ requirere possit;  
qui Pontifices Romanos, quos auctoritate interpretandi ver-  
bum DEI polluisse procul dubio credit, puritate animi haud  
rarò caruisse negare non poterit, nisi historiarum fidem o-  
mnem evertere voluerit. Fortè autem Anonymus ex Protestan-  
tibus aliquando audivit, quòd illi ad salutarem verbi Divini  
cognitionē & assensum fidei supernaturalem, piam affectionem  
voluntatis requirant: atq; id nunc imprudens ad assequendum  
simplici apprehensione verum sensum verborum Scripturæ in  
locis etiâ clarissimis, malè applicat. Quòd autem efficaciæ verbi  
divini quoad conversionem & fidem hominum non dependeat  
à proponentis missione legitimâ, & hinc nascente auctoritate  
ejusdem; prolixè & accuratè ostendit sæpè laudatus Dn. D. *Mu-*  
*seus P. I. de Eccles. Diss. VII.* quam Pontificius alius Anonymus, au-  
ctor *Perpetuæ lucis & visibilitatis Ecclesie &c.* cum tractatum illum  
refutandum sibi fumeret, *Notis & Animadversionibus*  
in eum editis, non ausus est impugnare. Tan-  
tum hæc vice.
















8

DISPUTATIO ACADEMICA  
DE

QUÆSTIONE  
Utrum Pontificii? an  
Nostrates, in Religionis negotio,  
conscientiæ suæ rectius  
consulant?

*opposita ANONYMO Pontificio.*

Hanc

D. O. M. A,

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS GUILIELMI BAJERI,


S. Theol. Doctoris & Prof. Pub.

*in Auditorio Theologico*

d. VII. Jan. A. C. M. DC. LXXX. *Jan. 1680*

*publicè defendet*

JOHANNES Oppenrieder/  
Weissenburgô-Noricus.



JENÆ

Literis GOLLNERIANIS.

